



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

An Realis? parag. 3.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

sed contractum illum personale, qui fundatur in fructibus, vel operibus solius personæ. Adde, id, quod modo dixi paragr. præced. num. quarto.

§. Atque hinc fit, ut, quamvis pensiones, quæ sperantur, colligendæ, sint minoris summiæ, quam summa data, vel sint majoris, semper sit licitus contractus, quia per hunc non emuntur illæ pensiones, sed iusto pretio emitur spes ad illas; unde sub æquali periculo potest evenire, ut nihil habeas, si statim moriatur venditor, vel multum, si vivat diu.

§. III.

An licitus sit realis.

**A** Deo licitus est Censuum Realis præscindendo semper ab aliquo extrinseco inconvenienti, & cetera. Jur. purem, docere contrarium, esse nunc saltem temerarium, & erroneum. Ratio est, quia Martinus V. Callistus III. Nicolaus V. in Constitutionibus mox asserendis §. 8. Censuum Realem approbant, & approbationis quidem ratio potissima fuit, quia est verus contractus emptionis, quo non quidem emitur ipsa pensio, si naturam contractus Censuum bene cognoscas, sed, vel emitur Jus percipiendi ipsam ex fructibus rei, ut *1. Ap. Layman. lib. 3. habent communiter Doctores* vel, ut habet *11. 4. c. 18. Delugo* emitur pars usus fructus illius prædii, super quo Censuum constituitur; ita, ut dominium totum directum prædii maneat apud Venditorem, dominium verò utile, quod appellatur usufructus, ex parte, vendatur; nam propterea minoris semper debet vendi, quam valeat, totum prædium, quia minoris æstimatur dominium utile, quamvis totum, & integrum, quam dominium ipsum utile simul cum dominio directo, quorum utrumque venditur, quando venditur absolute prædium; cum in Censu vendatur solum usufructus, ut dictum est.

2. Ex hac ratione sive, ut Doctores communiter, sive, ut Delugo illam inducit, vides Primò, non solum posse emi Censuum antiquos jam constitutos, sed etiam posse novos constitui. Nam eadem est ratio, per quam antiqui rectè constituti sunt, ac illa, per quam nunc de novo constituuntur; utrobique enim non est mutuum cum lucro, sed vera emptio, & venditio; Et profectò antiqui ipsi nonnò olim fuerunt novè?

3. Vides Secundò, facile solvi argumentum aliquorum e putantium, ejusmodi Censuum esse illicitos. Qui vendit (ajunt) Censuum recipiendo v. gr. mille ab emptore, debet singulis annis ad rationem, v. gr. quinque pro centenariò ipsi dare quinquaginta; dabit ergo ex obligatione centum in duobus annis, & tamen semper debebit mille, quod est Capitale, quodque semper, ex natura hujus Censuum Realis, dare debebit, si vult Censuum extinguere; ergo obligabitur dare plus, quam acceperit, quæ est clara usura. Facile, inquam, solvitur, nam sicuti justè emit quis prædium, quamvis idem ex fructibus, quos per annos consequentes colliget, compenset sibi totum pretium, quod dedit, & adhuc ipsi remanet totum prædium, quod posset vendere, quanti emit; ita, etiam licita, & justa erit emptio Censuum realis, quamvis pensiones solvendæ sint supra pretium ipsius Capitalis. Et ratio ulterior hujus Justitiæ est, quia ego non emo ipsas pensiones futuras, sed, ut modo vidimus, Jus præsens ad illas, quod Jus à me habitum, & veluti à me possessum, necesse est, ut mihi tanquam Domino fructificet.

4. Vides Tertio, necessarium esse ad Justitiam ad venditionis Censuum, ut res sit fructifera, unde injustus est venditor Censuum, id est, Censuaris; si obligat Emptori, id est, Censualistæ rem non potentem reddere fructus, saltem tot, quot pensio exigit, aut si obligat rem, eos quidem reddentem, sed jam in aliis Censibus venditam.

5. Denique, quamvis Censuum sit supra prædium, ejusque fructus, scias tamen, bene, & licitè te posse percipere à possidente prædium, pensionem pecuniariam, quia, in constituendo ejusmodi Censu, adsunt implicite duo contractus: Alter est Venditionis Censuum Fructuarii, quo mihi venditur Jus ad fructus seu, ex explicatione Delugo, usufructus partialis. Alter permutationis, quo Venditor sibi retinet fructus, & solvit, servata æqualitate, pecuniariam, computando unum annum forte sterilem pro alio. Lege Molin. e aliisque.

c Dec. com. fl. 123. Aret. con. fl. 151.

Medul. d. l. 3. 11. 5. c. 3. d. 9. nu. 3. ex Bonac.

e Molin. d. 385. Arag. 2. 2. q. 78. ar. 4. conclus. 2. Delugo l. c.